Συνεργεῖτω τύχη

EXERCITIUM ACADEMICUM,

SOBRIAS EXHIBENS COGITATIONES

CIRCA

IDEAS NONNULLAS

THOMÆ HOBBESII

PHILOSOPHI MALMESBURGENSIS,

DE

NUMINE EJUSQUE CULTU,

NEC NON DE

LIBERTATE, NECESSITATE, CASUVE FORTUITO

QUOD,

Consent. Veneranda Facult. Theol. In Reg. Acad. Aboënsi

PRÆSIDE

Maxime Reverendo atque Amplissimo VIRO

CAR. MESTERTON,

S. S. Theol. Doct. nec non Log. & Metaph. Prof. R. Ord.

Publico bonorum examini submittit

In AUD. MAJ. die XXIII. Novembr. Anni recuperatæ salutis humanæ MDCCLVII. Horis ante meridiem solitis

MAGNUS ÅKERSTEDT,

BORGOA NYLANDUS.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc. Finland. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis

MAGNÆ FIDEI VIRO

Reverendiſſimo PATRI ac DOMINO

Dn. JOHANNI NYLANDRO

S. S. Theologiæ DOCTORI conſummatiſſimo,
Diœceſeos Borgoënſis EPISCOPO eminentiſſimo,
Venerandi Conſiſtorii PRÆSIDi graviſſimo,
Gymnaſii Scholarumq; per Diœceſin EPHORO adeuratiſſimo,

MÆCENATI MAXIMO,

REdundat ſane in Te Reverendiſſime Admodum Dn. DOCTOR, aureum illud Ovidii Naſonis de Auguſto Cæſare, *Te celebrant omnes, quanto deſet ore, tuasque ingenio laudes uberiore canunt.* Habes quippe jam, præconem Nominis Tui, hem illuſtrem, Patriam, habes vero Eccleſiam quam maxime. Habes Patronos litterarum, ovantes & gratulantes, perfectionum tuarum, pios quaſi admiratores & ſimul cultores. Habes juvenes, in campo diſciplinarum & Borgoënſi & Aboënſi excurrentes, nullo non tempore Temet, licet balbutientes, celebrantes. Habes denique præter hos gloriæ tuæ milites, alios quamplurimos, habes & per conſequens, qui te amant non paucos. Quod certe mirum non eſt; pietatem etenim VIRI inſignem, ſolidam ejusdem eruditionem, morum gravitatem, laboresque in Scholis exantlatos indefeſſos, honore ſed maximo, abundantiam vero omnium virtutum, & uſum atque experientiam omnium rerum, amore ſed minime fucato, dignas eſſe, nemo inficias ire aut velit aut poſſit. Hinc cogitanti etiam mihi quo tectus clypæo quove ſplendore commendatus, in lucem prodiret labor

bor hicce meus academicus, ſtatim occurrit, Celeberrimo Nomini Tuo inſcribendum eſſe, cujus ſub robore atque fulgore, tutius quicquam aut illuſtrius illi, nihil accidere poſſe judicavi. Notam quidem audaciæ, me hanc ob rem, effugere haud poſſe non neſcio, aſt, *ſpes impunitatis, caput, (ut ait Cicero) audaciæ eſt, & maxima peccandi illecebra*, etjam præſenti in negotio. Multitudo beneficiorum tuorum, Reverendiſſime Pater, alteram eamque inevitabilem, audaciæ abſolvit rationem. Poſt obitum quippe parentum meorum luctuoſum, miſeranda mea adverſitas Te, Epiſcope ſumme, in me officioſum fecit ita, ut meæ calamitatis non adjutorem ſolum, verum & ſocium eſſe videbaris. Neque hoc ſolum, cumulos iisdem addidiſti, cumulos autem admirabiles, inexplicabilesque. Multa paucis complectar, dicendo: Te mihi Afflicto ſemper dextram porrexiſſe, & tanto amore fuiſſe, ut excogitares, quomodo meam non modo levares calamitatem, ſed etiam honeſtares. Quum igitur jam me, Tibi, Mæcenas Maxime, debere tantum, quantum hominem homini debere vix fas eſt, ipſa res loquatur, quoniamque ſpes meas omnes, poſt DEum in te collocavi; itaque, ne ingratitudinis aliqua mihi macula inuſta videretur, has qualescunque ingenii mei fœtus, tam illuſtri Viro, vix ac ne vix quidem dignas, perpetua tamen, gratiſſimi ſubjectiſſimique ſymbola, *donec quid grandius edam, poſtera, forsque ferat melior*, Tibi Rev. Præſul, ſacrare viſum eſt. Accipe Vir Maxime, illas, humillime rogo, ſerena fronte, ſplendidius namque aliquid a me expectare opus longum fuerit, & Patrocinio tuo, clientem devotiſſivum fove. DEus Optimus & Maximus, Te in Patriæ, Eccleſiæ, Familiæ Tuæ, ac noſtræ decus ac emolumentum, plurimos per annos, florentem, vigentemque conſervet; ita ex animo vovet

REVERENDISSIMÆ PATERNITATIS TUÆ

cultor devotiſſimus

MAGNUS ÅKERSTEDT.

Råd- och Handelsmannen i Borgo

Ädel och Högaktad

HERR HINDRICH SCHRÖDER,

MIN GUNSTIGE GYNNARE.

NÅr medfödda Själa-Förmögenheterna Förſtånd-det och Wiljan, i råttan tid blifwa ympade i Gudsfruktans rot; och ſedan framgent njuta den ans och ſkötſel, en ſå öm plantering kråfwer: blir owederſäjeligen påfölgden timmelig och ewig ſällhet. Menniſkan af ſådan art, bär då billigt namn af en grundad Chriſten, och widden af deſs Borgerliga wenningar, utmärker henne för en ſann lem i det Samfälta Lefwernet. Hon har ſin wandel grundat på Förſynen, därföre ſer hon ock dageliga wedermålen, af hans godhet i ſina handteringar. Hon kenner ſin GUD, men hon känner honom rätteligen; derföre wet hon ock ſin plikt emot näſtan, och uptar med kraftiga böjelſer deſs öden, ſåſom ſina egna. Herr Rådmans wårda Perſon ſkal hielpa bewiſet. Han lefwer af Himla magten bewarad i anförda omſtändigheter, lef-

wer

wer fölgaktteligen ock redan nog lycklig i uſelheten; hoppet om waraktigare ſällhet ſtår grundat i deſs Förloſſare. Han år i Samhället en upriktig och redelig medborgare; men låter andra bewiſa ſin nitiſka wälmening. Jag ſom bland andra, kånt undranswårda kenningar af Herr Rådmans öma ſinnelag, blir dertil et ojåfagtigt witne; men beklagar at låtten fallit, på et ſå ſwigtande åmne. Jag lårde mig uti Herr Rådman glömma ſaknan af en huld naturlig Far, jag åtnjöt fem hela åhr i deſs wårda hus, den ans en kår död Mor tilkommit. Men icke det allenaſt, wälgierningar hwilkas widd fordrar långre tid at nåmna om, ån denna min inſkränkta, hafwa beſtåndigt fölgt min lefnad.

Döm nu håraf min låſare owåldugt, til ſaken ſom ſkulle bewiſas; jag fortfar at wörda en dygd hos Herr Rådman, ſom wäl ån i wåra tider lefwer, men ſå ſällan. Min Herr Rådman, jag oroas hwar gång åtankan leder mig tilbaka på Edra många och ſtora mig ertedda förtienſter; ty omöjligheten af någon den ringaſte, mycket mindre fullkomlig wedergållning utgör det måſta af mitt förråd. Stode förmågan hos mig i högd med wiljan, ſå ſkulle knapt någon dag wara i ſtånd at löpa om, innan min ſkuld wore afbördad, men wederſpelet lyſer i en dag, juſt nu, då bägge om hwaran, ſig för Eder min Herr Rådman wiſa. Några enfaldiga tanckar om GUD och hans ſanna dyrkan, ſamt om menniſkans fria wilja, med mera, år hela den afkaſtning, Herr Rådman

man för ſit dryga utſåde måſte mottaga. Förſynen ſom utmärkt Herr Rådman mig, ſom ock flera motgångs barn til ſtöd, lårer utan twifwel det öfriga af min ſkuld årſåtta; om icke i tiden, dock efter ſit löfte, wiſſerligen i ewigheten. För öfrigit, ſåſom jag är förſäkrad, at ännu härefter ſom hårtils få ſe mig bewarad i Herr Rådmans ömma åtanka; ſå ſkal och däremot mit föremål blifwa, at lämna de ifrigaſte af mina ſuckar til högden för edar wälgång. Önſka at Herr Rådman under en ſäll lefnad, måtte, ſit wårda hus til glädie, och mig til hugnad, få bära ſin wårda ålderdom, ännu många år bland oſs dödeliga, och räkna ſina dagar til den tid, då han mått af lefnad, med en Jacob, ånteligen wäntar efter ſina hälſo; då jag ock förſt uphörer at lefwa

ÄDEL och HÖGAKTAD HERR RÅDMAN

EDAR

ödmjuk - tackſamme tjenare

MAGNUS ÅKERSTEDT.

VIRO Plurimum reverendo atque Clariſſimo

DN. PETRO HIPPING,

Sacellano in Perno laudatiſſimo, Avunculo ac Tutori ut fideliſſimo, ita Patris loco ad cineres uſque pie colendo ſuſpiciendo.

QUum conjunctis viribus, Altiſſimi Moderatoris gratia, quasfationibus diri fati inſurgunt mortales; & fatalia ſingulorum ſinguli participant, eo affectu, ne quid negligatur in juvandam afflictantem partem: evenit tandem, ut ſumma cum voluptate ex ſucceſſu unius cujusque felicitatis, priſtinas omnino oblivifci calamitates, Creatorique ob mirabilem gubernationis gratiam, ac imperveſtigabiles ipſius vias, encomia cantare queant ſempiterna. Hoc verum quod ſit, mea fane teſtis erit vita. Quippe quæ ante aliquot jam circumactos annos, providentiæ auſpicio acerbiſſimis fortunæ plagis vulnerata fuit ita, ut nemo meorum, Te Avuncule cariſſime exepto, in numerum viventium amplius inveniretur. Enimvero prout mirabilis gratia, ſuos ſemper ducit mirabiliter; ita quoque mihi, tua ſub tutela contigiſſe, invitus confiteor

fiteor. Tuæ quidem neceſſitates Tutor fidelis, proportione, æquales erant meis anguſtiis; res Tuæ, eam non habebant faciem, ut curam octo tuorum meique cum tribus meis nondum ſui juris infantium agere potuiſſes ſufficientem: tamen quoquo modo illud ſeſe habeat, nemo noſtrum, ulla, imo nec minima, expertus eſt incuria. Quod enim ad me pertinet, tantum dico, Te, Pater Cariſſime, ſumtibus in me faciendis nunquam peperciſſe; verum Muſis & Borgoënſibus & Aboënſibus conſecraſſe quam diligentiſſime. Memor horum omnium ſatis ſum, nec unquam obliviſcar, ſed nil quod rependam habeo; ſuo ſtat talo axioma Stagaritæ: *liberos non poſſe beneficia Parentum, ullo pietatis genere demereri.* Accipias tamen Avuncule perdilectiſſime, diſſertationem hanc, pro omnibus beneficiis, omnibus impenſis, & omnibus a Te, in me a primis jam crepundiis profectis curis, & memora mecum Omnipotentiſſimi laudes. Ego de cætero pias ad DEum præces fundere, pro diuturna vitæ tuæ felicitate, nullum diem intermittam, & ad ultimum usque vitæ terminum permanebo

AVUNCULE AC PARENS CARISSIME

TUUS

obedientiſſimus

MAGNUS ÅKERSTEDT.

I. N. J.

§. I.

CUm per nonnullos jam Philoſophiæ campos oberrare mihi contigerit juveni, inter multos ibidem flores adſpectu jucundiſſimos, non incommode publica hac occaſione, perpendendas mihi ſe præbuerunt Ideæ acutiſſimi Hobbeſii de Numine ejusque Cultu, nec non de Libertate, Neceſſitate, Caſuque fortuito. Quæ, licet aliquid boni in ſe contineant, nec acumine deſtitutæ ſint; patrocinio tamen indignæ merito videntur, ceu ſingulares plane & prorſus paradoxæ. Imo, nec adeo benigne de hoc philoſopho ſentiendum eſſe exiſtimamus, ac fecit Thu-

migius, qui Hobbeſium, abſolutæ rerum neceſſitatis magnum defenſorem in Diſſertatione ſua, de genuina & completa neceſſarii notione §. 7. cum nonnullis aliis ſalutat. Obſtat namque (miſſis iis, de quibus in ſequentibus verba facturi erimus) Illuſtriſſimi Comitis Roceſtrienſis Johns, inter Atheos tam bene cogniti, ad ſaniorem mentem converſi, in lecto ſuo emortuali confeſſio: *ex Philoſophematibus Hobbeſii, ſuam ſe impietatem hauſiſſe* aſſerens. movent quoque nos ad hoc, quicquid ſit audaciæ, verba ipſius Hobbeſii, qui quum ad contentionem Joh. Bramhalli Epiſcop. Derryenſ. meditationes ſuas de Numine, Libertate, Neceſſitate Caſuque fortuito reſponderet; ſimul non diſſimulabat, ſe malle, reſponſum ſuum publici juris fieri, ratus lectores rerum haud ſatis gnaros, ſententia, quam profitebatur, utut in ſe veriſſima, abuti poſſe. Hæc licet ita ſe habeant, reverentia tamen viri, minime nobis obſtat, ceu cui alias, non ingenii acumen, non merita, nec denique fere omnia, quæ ad ſolidam Philoſophiam ſpectant, defuiſſe, non neſcimus. Quod vero arduas illius notiones humeris meis vix pares, juvenili ſubjicere auſus fuerim judicio; id inanem temerariamque eſſe operam, nemo, imo nec ipſe Hobbeſius, ſi adhuc in vivis eſſet, mihi objicere anſam habet, modo ſi attendet, memet non orbis eruditi officiis & functionibus immiſcere, multo minus virgam cenſoriam, (tantæ enim audaciæ non ſum) in magnum Philoſophum ſtringere, animo niti; ſed ſimpliciter, rudiora.

diora nonnulla judicia, quæ veritati rationique maxime conſentanea videntur, leviori penicillo proferre, ad ingenium ſolummodo exercitandum, & imperfectioni ejusdem ſubveniendum. Tuum igitur erit L. B. mitem conaminum eſſe judicem, & ſi quod facile crediderim, per omnia tibi heic non ſatisfiat, id immaturo adhuc ingenio, & argumento, ut libere dicam ſatis ſublimi, benigne adſcribas. Quod ſi a te impetravero, tantillum temporis in lucubrationibus hiſce conſumſiſſe, nunquam me pœnitebit.

§. II.

OMiſſa expoſitione verborum propter evidentiam, & explicationem rerum, quæ ſequitur, ipſam frontem Diſſertationis non attingimus; ipſum vero Hobbeſium diſputantem, ſine ambagibus, in Theatrum inducimus. Occurrunt autem nobis omnium primo in Theſibus ipſius, ea, quæ de Infinito Ente, ejusque cultu ſentiret, penitius rimanda. *DEum exiſtere*: hoc per ſe notæ veritatis axioma, uti nemo ſaniorum Philoſophorum ac gentilium, aliorum craſſis involutorum tenebris, in dubium vocavit, ita nec auctor noſter. Aſſerit namque nobiſcum argumenta de DEo, tam ex ratione, quam auctoritate deſumi poſſe, confiteturque omnes DEi actiones juſtas eſſe, quippe qui neminem habet ſuperiorem, qui ipſum obſigare & punire poſſit. Recedit autem a nobis in eo, quod

urget, dari quoque alia de DEo argumenta, conceptu impoſſibilia, in meris verbis conſiſtentia, quibus ipſum quidem coleremus, nullo tamen modo cognoſceremus, aut attributa illius clarificaremus. Verum enim vero, quomodo DEum colere queamus, verbis nihil ſignificantibus, eumque ſupplicationibus externis & ceremoniis etiam mente vacuis, haud ſecus ac ſtultus homo adulatoriis vocibus, propitiari, percipi haud poteſt; Sapientia forſan, Bonitas, Juſtitia, DEi hujusque univerſi reſpectu, Hobbeſio uti & Spinozæ mera figmenta ſunt: quia, ut illi ſomniant, cauſſa prima ex neceſſitate potentiæ ſuæ, non vero ex electione Sapientiæ conformi, effectum producit. Concedendum quidem, imo lubenter concedendum eſt, per ingenii imbecillitatem, eousque non pertingere poſſe rationem humanam, ut perfectam de Creatore ſuo habere queat ideam; quod & confeſſio Simonidis ſatis demonſtrat: fatentem, *tanto ſibi obſcuriorem viſum fuiſſe DEum, quanto diutius eum conſideravit*; nec non gentilium omnium de Numine definitiones e. g. Socratis quem dixiſſe legimus, *eſſe DEos omnium optimos & feliciſſimos*: Callicratidæ Pythagorici, *eſſe DEum unum optimum*: Platonis, *eſſe DEum omnium juſtiſſimum*: & reliqui, quorum omnium aliqui, quod DEi ſit dixerunt, nemo eum totus aſſecutus. Aſt longe aliter comparatum eſt cum illo cultu, qui ex revelato Altiſſimi verbo, principium atque fundamentum trahit ſuum; ubi quid & qualis ſit, quem colimus & colere

lere debemus, quave ratione colendus ſit, non obſcure nobis ob oculos ponitur. Oſtendit ibi ſummus rerum Conditor, nomina ſua eſſentialia, ſibi ſoli competentia, eſſentiamque ſuam plane indigitantia *Exod. III: 13, 14, 15.* Monſtrat ſuam independentiam, ſeu quod idem eſt infinitudinem, *Eſaiæ XLIII: 10, 11. Joh. V: 26. Pſal. CXLV: 3.* Manifeſtat attributa, ſibi ſoli competentia, ut perfectionem, *Pſal. XVI: 2. 1. Tim. VI. 15.* Spiritualitatem, h. e. immaterialitatem, *Joh. IV: 24.* Æternitatem, *Pſal. CII: 25.* ſeq. *Apoc. 1: 8.* immenſitatem, *1. Reg. VIII; 27.* Omnipotentiam *Gen. XIIX: 14. Luc. XVIII: 27.* Omnipræſentiam, *Jerem. XXIII: 24. Act. XVII: 28.* Immutabilitatem *Malach. III: 8. Jac. I: 17.* Vitam, quæ exponitur per immortalitatem *Deut. XXXII: 39, 40. Conf. Rom. I: 23.* & quæ ſunt plura: quin & attributa ſua communicabilia declarat: v. g. Intellectum, *Joh. XII: 13.* Voluntatem, *Pſal. CXV: 3.* quam ſemper in bonum tendere exponit, *Pſal. V: 5.* Benignitatem, *Exod. XXXIV: 6. Tit. III: 4.* Amorem, *Joh. III: 6.* Gratiam, *Pſal. CIII: 8, 9, 10, 11, 12. Rom. V: 20.* Miſericordiam, *Exod. XXXIV: 6. Oſ. XI: 8. Eph. II: 4.* Patientiam, *Exod. XXXIV: 6. Rom. XI: 22.* Juſtitiam, *Pſal. XI: 5, 6, 7. Heb. VI: 10.* Veracitatem, *2. Sam. VII: 28. Rom. III: 4.* Fidelitatem, *1. Cor. X: 13.* Hinc, quis non videt, abſurdam Hobbeſii Theſin omnino evaneſcere; cum enim ſic e. c. DEus a nobis vocatur optimus maximus, Perfectiſſimusque, verba illa ſimul aliquid

in ſe continent, & non ſaltem honorifica ſunt: agnoſcimus enim tali modo, eum eſſe omnium rerum Creatorem, nos vero ab ipſo dependentes. Dum Sapientiam DEi veneremur, ſimul ſignificemus, illi nihil prorſus, imo, nec in cordibus agitata latere. Dum Juſtum eum appellemus, eo momento, talem ipſum agnoſcimus, qui jura conſtituit, quive nihil juri æquove repugnans, inultum eſſe patitur. De Clementia Miſericordiaque Ipſius, dum verba facimus, mox noſtram recordamur exilitatem & miſeriam. Ita &, quoties voluntas Ipſius, animi ſubit cogitationem, ſimul, patienti animo ferendum, quicquid nobis a provida ejus manu immiſſum fuerit, pie declaremus. Sic quoque veracitas, quam, quum DEo tribuimus, indigitamus, ſine hæſitatione dictis illius fidem habendam eſſe & ſic porro. Unde, ut multa paucis complectar, verbis Lactantii utar: *Sapientia, h. e. notitia de DEo ſufficiens ad ſalutem, præcedit, Religio ſequitur, quia prius eſt, DEum ſcire, conſequens colere*: & Auguſtini: *Tantum diligitur, quantum cognoſcitur.*

§. III.

SEd, ne forſan, quæ in antecedentibus contra Hobbeſium notavimus, ad ſolum revelatum Dei cultum, non vero ad naturalem pertinere, nobis objiciendi anſa cuidam detur; paucis notaſſe ſufficiat, ex vera DEi Idea, qua naturaliter concipitur ut Ens abſolutiſſime perfectum, veram quoque Religionis Naturalis indolem & qualitatem, exa-

examinandam & eſſe & poſſe. Hæc enim ſi conconſtituatur, & conſtituta recte exponatur, ſine difficultate ſatis ſuperque judicare poteſt creatura, quomodo de Creatore ſentire ſuo, quave ratione, Ipſum in naturæ & rationis ſphæra colere debeat. nam eadem DEi Idea, fontis inſtar eſt, unde attributa omnia Numinis fluunt, vivique omnium poſſibilium concluſionum, quas de DEo ratiocinantes deducimus; quin & certiſſima regula, cujus ope, brevi labore, quicquid in rationalibus de DEo judiciis curvum ſit ac perverſum, corrigere, cultusque DEo indignos rejicere valemus. Exempla, ex quibus probatur, gentiles quosdam, de DEo ejusque natura, bonitate juſtitia, providentia, mirabili pietate diſſeruiſſe, extant quam plurima, quæ ut ſingula ſingulatim enumerentur, inſtituti prohibet ratio; adeat cupidus lector imprimis librum M. Antonii imperatoris, de vita ſua, & Heroclidis commentarium in aurea carmina Pythagoræ; quia piis Chriſtianis, ſumma cum voluptate legi poſſunt. Unde ſua quaſi ſponte fluit, omnes naturalem de DEo Recte Sentiendi potentiam habere, licet error & facilis nec non varius, in actu ſecundo committatur, qui tamen non rationis, ſed ratiocinantis eſt. Ut vero jam in §. II. monuimus, differentiam inter Philoſophum gentilem ac Chriſtianum intercedere aliquam, circa notitiam rerum divinarum, non eſt quod negemus; quatenus huic, Chriſtiano puta, uberior datur occaſio de his rebus cogitandi. Simul tamen atteſtemur,

Iu-

lumen naturale, non in Ethnico minus eſſe, ac in Chriſtiano, cum una eademque habeant motiva, DEum per naturam cognoſcendi. Et ſic levi brachio diſcuti jam poteſt, quod in contrarium molitur Hobbeſius. Verum quidem ſuo ſenſu eſt, quod dicit, conceptum noſtrum non niſi finitorum eſſe; e contrario tamen non minus verum, conceptum noſtrum, ſuo quoque modo infinitorum capacem eſſe. Cognoſcitur namque ens Infinitum, quadantenus ab intellectu creato, ſtante effato Pauli, ad *Rom. I: 19, 20.* Comprehenditur nimirum, per cognitiones negativas, per viam eminentiæ, quin &, per operationes ſuas; quamvis quidditative, comprehenſiveque eum non cognoſcere mortales, haud inviti fateamur. Extremam deinceps notam, unumquemque inire, omnemque poſt hanc vitam felicitatem deſperare, conſequentia poſtularet, ſi quod vult Hobbeſius, finitas intellectus & infinitas DEi, impedimenta eſſent cognitionis DEi. Fruſtraneum namque ſic foret lumen gratiæ, inanis quoque omnis Theologia; cum nec illud lumen, intellige gratiæ, vel DEum facit finitum, vel intellectum finitum infinitum. Vetus illud Ariſtotelis, *Nil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*, quod attinet, quo ad ſententiam ſuam confirmandam utitur Auctor noſter, veritati non repugnare concedimus, dum de ſpeciebus intelligibilibus, quæ abſtractione comparantur, agitur; de ideis autem, quæ ante abſtractionem ineſſe poſſunt qualis idea Numinis audit, alia ſane eſt ratio:

multa

multa enim interne peragimus, quæ numquam in ſenſus incurrerunt. Hinc denique, ſi & maxime, ut vult Philoſophus, qualia, quæ de DEo adfirmamus, ſint, nobis non innoteſcant, annon ſimul tamen ejus declarare poſſemus attributa, *cum & Cæli ennarrent gloriam, & firmamenta opera manuum* ipſius? omnino & poſſumus & debemus, quum enim lingua & voce nos inſtruxerit ſapientiſſimus rerum conditor, tantaque corruſcantia perfectionum ſuarum indicia nobis reliquerit; beneficii prorſus immemores eſſemus, ſi talentum noſtrum ſuffodere, lapides truncosque nos exclamari patiremur. Aliter docet Epictetus, dum pie ſic loquitur: *Si luſcinia eſſem, facerem, quod luſcinia. Quum autem homo rationalis ſim, quid faciam? laudabo DEum, nec ceſſabo unquam.* cit. Morn. de verit. reliq. Chriſt. cap. 20.

§. IV.

COgnita ſic exiſtentia Numinis, ſimul obrepere ſtimulos obligationis, inculcantes huic Deo ſummum convenire cultum, tam internum quam externum, tam eſt notum, quam quod notiſſimum. Unde autem ſtimuli ejuscemodi cultus Divini, fundamentum principiumque trahant ſuum, jam hoc in §. cum Hobbeſio rem habemus. Defendere ſuſtinet ſenſum cultumque DEi, ex metu & indigentia, ex Melancholia, ex ſtellis, ex cauſſis Imperantium politicis, & neſcio ex quibus non, oriri. Verum enim

vero aperienti heic paululum oculos, non difficile erit intellectu, eum iterum in lubrico verſari. Dum enim finem creationis, tam in ordine ad ipſum Creatorem, quam creaturas, illuminatis reſpiciamus oculis, priori reſpectu DEum ſui intendiſſe cultum, adeoque naturam hominis formaſſe religioſam, poſteriori, conſervationem illorum animo meditatum eſſe, ſine omni dubitationis alea credere fas eſt. Hæc creans ipſius voluntas, finem ut obtineret ſuum intentum, Legem Naturæ, cordibus inſcripſit DEus; quam velut normam in agendo reſpicerent viatores. Juris autem hujus Naturalis fundamenta & principia, non niſi ipſius DEi bonitatem, conſummatiſſimam ſapientiam, ſummam potentiam, nec non juſtitiam eſſe, conſtanter affirmamus. Bonitatem inquam, colligitur namque & colligi ſatis ſuperque poteſt illa ex creatione omnium rerum; adeoque debito amore Creatorem proſequendum eſſe, veriſſima monſtrat conſequentia: *præſtantia enim, & bonitas objecti, amoris eſt menſura.* Sapientiam: per illam enim, quum omnia & ſingula DEum creaſſe, creata conſervaſſe & conſervare, conſervata direxiſſe & dirigere, ſana aliquo modo doceat ratio; non poſſunt homines, quin tam ſapienti rerum ſtatori venerationem præſtent: *Si enim*, ut inquit Ariſtoteles, *quis eſſet, qui reliquos omnes homines ſapientia ſuperaret, illum fore dignum, cui omnes mortales imperium deferrent*, quanto magis DEo ſoli Sapientiſſimo regi. Potentiam: quemadmodum enim, dum ſobrie ratiocinentur mortales, conſcientia ipſos convincit,

nil

nil DEo vel majus vel æquale eſſe; idcirco indiſſolubili quaſi nexu, conjunctum cum eminentiſſima ejus potentia, omne jus in omnia creata exiſtere, adeoque cultum ej præſtandum eſſe, ipſa res exigit poſtulatque. Hinc peſſime metus & indigentia principia cultus Divini audiunt, nam nuper enumeratæ, longe excellentiores ſunt cauſſæ & fontes Religionis: ita quoque nec Melancholia, quippe omnes DEi cultores melancholicos aut eſſe aut fuiſſe nondum probavit Hobbeſius: non influxus ſtellarum, gloriam namque ſolummodo enarrant Creatoris, non Eam conſtituunt: non deniqne politicæ imperantium cauſſæ, quoniam Solonem, Lycurgum, Numam aliosque Reip. conditores & legum latores antiquiſſimos Religionem fundaſſe generatim ſpectatam, (licet illam inſtitutis ſuis callide ſatis accommodaverint) confiteri haud poſſumus, quum jam ante initas ſocietates, ſenſum Numinis extitiſſe, monumenta Hiſtoriarum probent. De cætero, etiam theologice hac de re cum auctore noſtro agere nil impedit, fuit namque Philoſophus Chriſtianus, Scripturæ Sacræ minime expers, ut ex ſequentibus patebit. Cultum itaque DEi naturalem, idem cum revelato habere fundamentum, modo mihi (prout veritas poſtulat) concedatur; ipſum Numen, ſeu quod idem eſt, attributa ejus divina, unicum conſtituere fundamentum omnis Religionis, ex ſacris evidentiſſime patebit pandectis. Loquitur pro palmaria hac veritate Exodi Caput vigeſimum, ubi DEus, Legem Moralem, juſtitia, Bonitateque ſua ſtabiliſſe, ſic legitur:

Ego Dominus DEus tuus, ſum fortis ultor &c. nec non *Gen. Cap. XVII.* ubi ob potentiam ſuam, ſe colere debere mortales, indigitat his verbis ad Abrahamum: *Sum DEus omnipotens, ambula ergo coram me & eſto juſtus.* Addatur *Rom. II.* ubi Apoſtoli, de bonitate Numinis encomium obſervatione dignum, ſic legitur: *Contemnis ne ſic divitias bonitatis DEi, ac tolerantiæ, lenitatisque; ignorans, quod bonitas DEi ad pœnitentiam te invitat*; ad pœnitentiam, ergo & ad cultum atque venerationem. Hinc egregie Lactantius: *Neque honor ullus deberi poteſt DEo, ſi nihil præſtat colenti, nec ullus metus, ſi non iraſcitur non colenti.*

§. V.

DIxi, conſenſum omnium gentium de DEo, unice ex interno & naturali mentis dictamine derivari; quatenus Majeſtas, dignitas, potentia, una cum clementia Ejus, omnes ab ipſo dependentes omnino obligent, ut agnoſcant ſumma cum ſubjectione potentiam beneficiaque Creatoris & Conſervatoris. Abſit tamen, ut quis me in caſtra Hobbeſii tranſiiſſe inſimulet; qui ſtatuit, obligationem ad præſtandam Numini obedientiam, incumbere hominibus propter imbecillitatem: ab hoc enim me quam remotiſſime eſſe, ſequentia indigitabunt. Placet namque ſtatim argumentationem ipſius proponere, quin & paucis anguſtare. *Duo inquit ſi eſſent omnipotentes, uter utri obedi-*

obedire obligaretur, neutrum neutri obligari in apri-co eſt; hoc quum verum ſit pergit, *verum quoque illud, homines ideo DEo ſubiectos eſſe, quia omnipotentes non ſunt: non enim contra ſtimulos calcitrandum eſſe, Salvator ipſe ad Paulum dicit.* O! impia Theſis! competere quidem DEo Potentiam irreſiſtibilem, & per conſequens jus ſummum in res creatas, negare non poſſumus, quum hoc ipſum jam in ſupra allatis declaraverimus; tamen aſſerere, hoc ex imbecillitate ſubjecti ſolummodo derivari, abſurditas omnino prohibet. Si enim ſuo ſtaret talo, ſententia hæc intricatiſſima, aperte homines, talem dominum colentes imitatione ejus, a caritate, ad duritiem atque crudelitatem provocarentur, per vim & dolum, per fas & nefas, pactis non obſtantibus, impellerentur, ad in alios quoslibet dominium exercendum, ad menſuram virium naturalium, animi, puta, corporis, fortunæque. Inanis quoque Lex exiſteret, irritumque Imperium, niſi in imperatori, juſta imperandi potentia, etiam citra potentiæ gloriationem adeſſet, conſcientias ſubditorum valide obligans; nec non in parituro aliqua neceſſitas, ex reverentia juſtarum cauſarum, ſecundum Legem vivendum, ante ipſam Legem & actuale Imperii exercitium. Bonitatem autem, Sapientiam, Juſtitiamque cum Potentia, modo quis conjunxerit, includens ſimul pactum & naturale, conſcientia puta, & revelatum, tum ſtatim invenio neceſſitatem, ut obſequium illi a quo pendeo deferam, & ſic non ſolum timendum eum eſſe ob magnitudinem, ſed & amandum ob bonitatem. Hoc

ipſum autem minime Hobbeſio placet, quippe qui alias, peſtilentes de bonitate, Sapientia, Juſtitiaque DEi, fovet ſententias. Quum enim, honorem & cultum, quem DEo tribuimus, tantum declarationem Potentiæ ipſius eſſe, aſſerat, cum tamen & reliquis perfectionibus agnoſci & coli debeant & poſſint mortales, *magnos namque facile laudamus, bonos libenter;* annon inquam ſimul, DEo omnem bonitatem & veram Juſtitiam abjudicet, annon tali modo, tyrannum ſeveriſſimum eſſe Ens perfectiſſimum ſtatuat, quaſi tam multas milliones creaturarum, eum tantum in finem produxerit, ut haberet, quos in æternum miſeros redderet, unice ſuam ad manifeſtandam gloriam omnipotentiamque? annon denique Creatorem nihil aliud, quam cæcam naturam Mundi materialis eſſe, quæ juxta leges mathematicas, ex abſoluta quadam neceſſitate operetur, haud aliter ac Atomi in Syſtemate Epicuri, exiſtimet? quis inficias ire, aut velit aut poſſit. Hinc, quamvis ſubterfugii cauſſa, ſuo loco de bonitate DEi verba faciat; reprehenſione tamen dignus merito videtur, quatenus ſimul, bonitatem Potentiæ divinæ partem tantum eſſe, urget, h. e. *bonitatem eſſe potentiam, ſeſe amabilem reddendi*: quod terminos ſane migrari, dicendum eſt, diſtinguendaque confundere. Revera enim, ſi bonum creaturarum non eſſet ſcopus atque intentio DEi; ſi potentia unicum ſaltem eſſet juſtitiæ ipſius principium, qua, uti ſors tulerit, ex beneplacito, vel urgente ſic neceſſitate Naturæ ſuæ, ſine electione bonitati ſuæ convenienti, quæcunque impoſſibilia produce-

duceret, nullo certe modo ſeſe amabilem reddere poſſet. Aſt potius, ſi ſemel introducta eſſet talis idea, craſſiſſimam utique pareret impietatem, ſufficiensque ſtatim haberet Satanas inſtrumentum, ad inimicitias DEum inter & homines inferendas, & ad flammas hominum inter ſe incendendas odioſas. Imo, pietatis fundamenta tali modo deſtruerentur: providentia namque divina, eo momento tolleretur, & actiones ejuscemodi DEo tribuerentur, quæ non niſi mali principii notæ atque characteres audiunt. Hinc, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, veritati quoque ad amuſſim repugnare, quod in libro ſuo de Cive pag. 260. ſeqq. dicit, DEum juſte peccatorem affligere, vel etiam occidere poſſe, etſi non peccaſſet; h. e. jus affligendi vel occidendi non a peccato hominis, ſed a potentia divina dependere. Etenim non obſtant loca Scripturæ ab ipſo allata, *Job. XXXVIII:* ſeq. *XLII:* 7. ſeq. *Joh. IX:* 3. nam diſtinctio inter malum pœnæ, & paternam caſtigationem ceu fidei probationem, rem illuſtrat. Juſtitiam DEi quod attinet, peſſime quoque illam ab Hobbeſio traditam invenimus, ſed non mirum; ſicut enim, ut jam monſtratum, potentiam ſolum juſtitiæ principium eſſe poſtulat, ita & hanc, juſtitiam videl. pro arbitrio definit, *per potentiam quam exercet per benedictiones & maledictiones.* quam autem obſcura, nec minus falſa, hæc ſit definitio, quilibet piſtillo obtuſior intelligit; poteſtas enim, ſeu potentia conferendi bona & infligendi mala, juſtitiæ minime conſtituit eſſentiam, ſed ipſa voluntas faciendi id ipſum

ad dictamen rationis: h. e. *bonitas juxta regulas Sapientiæ administrata, proprie est, quod justitiam absolvit.* Addit quidem adversarius, justitiam DEi & hominum, non in idem abire, quoniam hic, homo puta, eatenus tantum nomen sortiatur justi, quatenus legibus a superioribus traditis obsequium præstet, verum errorem heic iterum non levem committere Hobbesium & qui ipsum sequutus est, Puffendorffium, omnes mecum facere necesse habent, si alias justitiam, ab æternis bonitatis & sapientiæ regulis apud homines æque ac apud DEum, non autem a legibus superiorum arbitriis, fundamentum trahere suum, noscant & agnoscant. Si enim ad principia Metaphysica animum debite advertamus, facile negotio inveniemus, honestatem & turpitudinem actionum humanarum ex instituto seu voluntate Legis latoris neutiquam deduci posse, neque a voluntate DEi simpliciter, sed altius, ab intellectu scilicet divino, arcessendas esse. Nam primo, res omnes quæ existunt, a divina voluntate dependent, solius existentiæ non vero essentiæ quoque respectu: deinde dantur actiones idealiter & antecedenter ad divinam voluntatem spectatæ, ita comparatæ, ut statum subjecti agentis perficiant aut deteriorem reddant: deniqve, etiam impossibile est, DEum vi bonitatis & sapientiæ suæ, non intendere bonitatem creaturarum suarum. Tandem observat Hobbesius, sapientiam quam DEo tribuimus, non consistere, in inquisitione aliqua Logica, rationis inter media & finem intercedentis; sed esse illam, attributum aliquod incomprehensibile, quod in-

incomprehenſibili naturæ fuerit, adſcriptum', ut eam eo modo coleremus. Hinc, videtur innuere velle Hobbeſius, eſſe, neſcio quid, quod Enti neſcio cui fuerit attributum; imo, eſſe illud attributum Chimæricum quod de chimæra affirmatum fuerit, ad incutiendum hominibus metum, & ad imponenda ipſis negotia, in obſervatione cultus ejus obvia. Hæc ardua ſententia, per me diſſolvi haud poteſt, faciant hoc eruditi: illud ſaltem notabo, quod DEus, proprie loquendo equidem non ratiocinetur ſucceſſive cogitando, & aliam ex alia veritatem inferendo, uti nos; omnes tamen conſequentias cognoſcit, omniaque ratiocinia eminenter complectitur, quatenus omnes veritates, veritatumque nexum ſimultaneo actu, ſibi perſpectas habet. Unde &, Sapientiam Ipſi competere ſummè perfectam, unicum eſt quod credimus; & proinde, quotiescunque aliquid reprehenſibile videtur in operibus DEi, judicandum eſt, id nobis non ſatis noſci, & ſapientem qui intelligeret judicaturum, ne optari quidem poſſe meliora. Atque ſic de rebus maximis, cum noſtro philoſopho balbutiverimus, & licet limina adhuc vix attigerimus veræ veritatis, tamen, quantum ſcimus, tantum etiam confitemur. Putat e contrario Hobbeſius præſtare, ut hac in parte veritatem ſileamus. Aſt, ſi DEus eodem modo ſeſe gereret, uti Principes in hac Terra ſeſe gerere ſolent, non ſemper conduceret, omnem veritatem publice profiteri, quæ ipſum reſpicit; quum vero DEus noſter, homini-

bus infinite diſſimilis ſit, quorum actiones celari ſæpe debent ſæpe ſolent, illius autem ſecus: præſtat ſane veritates divinæ, ipſius naturæ reſpicientes, nullo non tempore annunciare, atque laudibus ad cœlos usque evehere, ceu ejuscemodi, quibus nec minimum inſit, unde ſcandalum merito metui poſſit. conf. §. III.

§. VI.

SEpoſitis jam illis quæ circa doctrinam de Numine ejusque cultu diſputat Hobbeſius; juſto ordine, ad reliquas ipſius ex his erroribus promanantes ideas, de libertate & quæ ſunt plura, properamus. Confitetur nil forte fortuna fieri, ſed caſum quem ajunt fortuitum, nihil aliud eſſe, quam meram ignorantiam cauſſarum, concurrentes ad effectum producendum ſubconditionis requiſitis. Hinc etiam egregie oſtendit, actionem quamcunque effectum omnino conſequi ſuum, modo omnes conditiones requiſitæ adſint, deficientibus autem illis, ſecus. Sed ſimul, odioſas plane, maximeque impias ipſe cum Calvinianis ſuggerit conſequentias atque expreſſiones, quaſi omnia ex abſoluta fierent neceſſitate, vi præſcientiæ quin & voluntatis Summi Numinis; unde & DEum non minus malarum quam bonarum actionum auctorem

ſtatue-

ſtatuere, (quod & fecit) neceſſitas urgebat. Ex Præſcientia DEi, Neceſſitatem abſolutam demonſtraturus, talem ſibimet finxit canonem: *quando* inquit *conditionalis eſt vera, ſi ejus antecedens eſt neceſſarium, etiam conſequens eſt neceſſarium.* Exinde argumentationem facit; ſi DEus ab æterno præſcivit Antichriſtum vel quosque alios homines peccaturos, peccabunt, hæc propoſitio conditionalis vera eſt, & antecedens eſt neceſſarium, ergo, vi poſitæ regulæ etiam conſequens neceſſarium eſt. Ut autem ex hiſce nos expediamus labyrinthis, primo notamus cum Becano, cujus verba apponemus: illam regulam locum habere, quando antecedens eſt neceſſarium, ex intrinſeca connexione terminorum, non autem quando ſolum eſt neceſſarium ex accidenti ſeu ex ſuppoſitione. Conſtat autem, hoc antecedens: *DEus præſcit Antichriſtum peccaturum*, non eſſe neceſſarium ex intrinſeca connexione terminorum, quia præſcientia DEi non habet intrinſecam connexionem cum peccato Antichriſti, eſt tamen neceſſarium ex ſuppoſitione, quia poſito, quod Antichriſtus ſit peccaturus, non poteſt hoc DEus ignorare. Diſtinſtionem deinceps facere noſtrum eſt, inter Neceſſitatem abſolutam & hypotheticam: *illa*, qua quid eſt immutabile, poſtulante ſic natura alicujus rei, *Hæc*, qua quid eſt immutabile, expoſitione extrinſeca alicujus circumſtantiæ. Unde veritas illa æterna promanat, non aliam ex Præſcientia DEi ſequi neceſſitatem, quam

mere hypotheticam, qualem divinam illam præſcientiam rebus omnibus imponere pie agnoſcimus. Res enim omnes ex illa DEi præſcientia nec non Providentia determinantur, non abſolute, ſed per ſuas cauſſas rationesque. Hinc peſſime Turcæ, (forſan Hobbeſio addicti) ut fama eſt, peſtem & alia mala fruſtra evitari arbitrantur, idque eo prætextu, quod futura ceu decreta eventura ſint, *quicquid agas, aut non agas*; ratio namque dictitat, eum qui certo peſte moriturus eſt, etiam certiſſime cauſſas peſtis non eſſe evitaturum: nempe, ut recte proverbio dicitur, *mors vult habere cauſſam*, quod in omnibus aliis eventibus quoque locum habet. Summum DEum quidem quatenus Omniſcius, omnia omnino præſcire & prænoſcere, ab ſit ut negemus; tamen illud ipſum cauſſam omnium rerum abſolutam eſſe, ulterius permulta loca Sacris in litteris obvia, credere prohibent: ubi res, præſcientia non obſtante, nunquam eveniſſe leguntur, ſic e. g. *Matth. XXVI: 53. 1. Reg. XXIII: Matth. XI: 21.* Ad hoc inſigniter ita loquitur Auguſtinus. *l. 3. de libero arbitrio. Sicut*, ait, *tu quidem quæ feciſti, meminiſti, nec tamen, quæ meminiſti, omnia feciſti: ita DEus omnia, quorum ipſe auctor eſt præſcit, nec tamen omnium quæ præſcit ipſe Auctor eſt; quia præſcientia ſua non cogit facienda quæ ſunt futura, ſicuti in memoria tua, non cogis facta eſſe, quæ præterierunt.* Porro, ſi Præſcientia DEi Neceſſitatem rebus imponeret, mortalium quoque præſcientia illis ſatis clara atque perſpecta idem faceret;

ceret; ſed obſtant exempla luce meridiana clariora innumerabilia, quare ut enumerentur, minus neceſſarium eſt. Adhuc qui non neſcit omnes res ab æterno non extitiſſe, & DEum optimum Maximum eſſe Ens ſumme liberum; qui novit, Præſcientiam DEi, internam intellectus divini eſſe actionem, ſolam notans prænotitiam ſimplicem futurorum, non ſimul efficacem producendi voluntatem; quique perſpectum ſibi habet, actum, qualis Præſcientia eſt, nunquam cauſſam eſſe ſui objecti, bene autem contra: mecum ſtatim deprehendere poſteſt, in fumum omnino impiam Hobbeſii abire theſin. Denique ſi omnia definita abſolute eſſent, ſequeretur, libertatem ex genere humano exulare; quam tamen, adhuc actionibus mortalium poſt lapſum inhærere, nemo hucdum ſanæ mentis negavit, nec negare poteſt. *Tolle enim* inquit *Meiſnerus, libertatem voluntatis humanæ in actionibus moralibus, & tolles omne virtutis & ſtudium & præmium; omnem vitiorum & culpam & pœnam; omnem legum & promulgationem & obſervationem; omnem deliberationem, conſultationem, electionem, omnes precationes, deprecationes, ſupplicationes, omnia judicia, omnem magiſtratum, imo, omnem & univerſam politiam. &c.* Ambabus igitur manibus, amplectendum effatum. Mercurii Trismegiſti: *a DEo factore nil turpe, nil male prodire poteſt.* Approbandum illud Platonis: Dial. 2. de Rep. *bonorum quidem ſolus* DEus *cauſſa eſt, malorum autem*

quamlibet etiam præter DEum cauſſam quærere decet: nam malorum alicui cauſſam eſſe DEum, cum bonus ſit, refellendum omnino eſt, nec permittendum, hoc quendam dicere in ſua civitate, bonis inſtrui debet legibus civitas.

§. VII.

IPſiſſimum argumentum aſſertionis noſtræ, contra neceſſitatem abſolutam, ab Hobbeſio tam vehementer defenſam, libertati actionum noſtrarum, non ſine ratione ſuperſtruximus. Vult autem philoſophus hac de re, ſuo more ſolide nobiſcum agere; dum quidem concedit, actiones noſtras, juxta propriam dirigi poſſe voluntatem, modo non in iis exercendis, nobis obſtacula objiciantur: ſubtiliter vero oſtendere molitur, volitiones noſtras non ita in noſtra eſſe poteſtate, ut ſine ulla difficultate, easdem in nobis excitare valeamus tales, quales ſimpliciter optamus. Verum enim vero, nulla cogit neceſſitas, ut id ipſum plane illi concedamus; quamvis enim lubenter fatendum ſit, theſin hanc quoad partem veritati non repugnare, nobis tamen illi contra impoſitum eſſe volumus concedere, imperium aliquod in volitiones noſtras relictum eſſe, licet indirecte & limitate. Semper enim, in voluntatem noſtram ſatis nobis ineſt po-

teſtatis, quamvis non ſemper veniat in mente illa uti. Hinc, nil obſtat, quin homo actionum ſuarum Dominus ſit, imperium namque ejus, imperium rationis eſt; adeoque toties quorumlibet, etjam vehementiſſimorum affectuum impetum coërcere valet, quoties animum ad iisdem obſiſtendum debite comparat. Ratio eſt, quod non deſunt homini media, pravas volitiones ſæpius præveniendi; ſed e. g. licet a mea voluntate non dependeat, ut hoc ipſo momento eſuriam vel non eſuriam, attamen a me dependet, num in futurum eſurire, aut aſſumtis cibis præcavere velim, ne hac aut illa hora eſuriam. præſto igitur inquam ſemper eſt aliqua ratio prævalens, quæ voluntatem ad eligendum permovet, cujus libertati ſalvendæ ſufficit; iſta tamen ratio, voluntatem inclinat non neceſſitat, Unde voluntatem ad agendum perduci nunquam exiſtimamus, niſi repræſentatione boni, repræſentationibus contrariis prævalente, ſalva nihilominus manente ipſa libertate. Tamen, ut jam antea notavimus, hæc omnia juxta limites fieri, adhuc monemus? nam affectus quoque rationem quam ſæpiſſime ſuperare poſſe lubenter agnoſcimus, ſi aut felix cogitatio, beneficientia Numinis prorſus ſingulari deſtituta, aut induſtria quædam, excitandis cogitationibus, tempore, loco, aliisque circumſtantiis accommodata nec non ſedula attentio rerum, præſto non ſit: nam & rhedarius equos quidem imperat, ſi eos regat, uti debet &

pot-

poteſt, ſed ſi ſimul oſcitanter agat, laxatis frenis, *fertur equis auriga, nec audit currus habenas.* Actiones mortalium externas quod ſpectat, dicimus, illas in quantum viribus noſtris capaces ſunt, pendere a voluntate noſtra, ut ajunt abſoluta, ipſæ autem volitiones actionum præſentes, ceu quæ a motivis & diſpoſitionibus præcedaneis oriuntur, non item, quod tamen vult Bajilius, poſtulans imperium in actiones noſtras, viis ſive mediis independens eſſe, ut merito de libertate gloriari poſſimus noſtra. Nam prout DEus tale non habet, nec habere debet (ſalva Majeſtate ipſius) imperium, quoniam ordinate ſolum agit naturæ ſuæ convenienter, ſic nec creatura, ceu cujus arbitrium cum ipſius in eo convenit, quod amborum actiones, ſpontaneo fiunt motu. Domi itaque imperamus, non quidem uti DEus in mundo, *qui dixit & facta ſunt*, ſed Principis inſtar ſapientis in ſua regione, aut boni Patris familias ſua in familia. conf. *Deut. XXX: 19. Joſ. XXIV: 15. 2. Sam. XXIV: 12. Eſ. VII: 16.* Aſt veſtigiis noſtris inſtat Hobbeſius, ulteriusque oſtendit, Hominibus ob infallibilem certitudinem futuritionis rerum, quin & ob ipſam neceſſitatem, actionibus ex cauſſis actionum dependentibus impoſitam, neceſſario injunctum eſſe deliberationibus & conſiliis, admonitionibus, laudibus & vituperiis, præmiis & pœnis, locum ut concedant; quatenus motiva illis inſint, inſtigantia, ad aliquid vel faciendum vel non

fa-

faciendum: adeoque neceſſitatem omnino abſolutam, hiſce in mediis fundari, contendit. Sed, ejuscemodi actiones, quum nullam plane neceſſitatem conſtituant ſimpliciter; ita ipſa media certitudinem tantum quandam adferunt affectibus, eosque determinant, ceu alias ſua natura certi determinatique, non vero abſoluti neceſſitati ideo ſubſunt. Etenim, licet futurorum contingentium ſit determinata veritas atque certitudo, certitudinem tamen objectivam, ceu infallibilem determinationem veritatis quæ illis ineſt, minime cum neceſſitate confundere debemus. Sic exempli cauſſa, latro, quem ex multis antea mihi notis tyrannicis actionibus, ab omni DEi & conſcientiæ Lege diſceſſiſſe ſatis convictus ſum, poſtulat me adjutorem in occidendo altero ſecum exiſtere, ſalva vitæ meæ Jactura; certitudinem quidem eventus mearum partium, pœna impoſita monſtrat, minime autem neceſſitatem actus poſtulati. Nam, ſi religioſus ſum, ſtatim illud, *ne occides*, aut hoc, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, neceſſitatem homicidii mea ex parte tollit; quum DEo magis ac hominibus eſſe obediendum, etiam Ethnicus noſcat. Conf. ex. Joſephi, Lucratiæ, Danielis, &c. Nec tantus unquam in nobis affectus eſt appetitusque, ex quo actus neceſſario ſequeretur; nam quamdiu homo mentis compos eſt, etiamſi vehementiſſime ab ira, a ſiti, vel ſimili cauſſa ſtimuletur, ſemper tamen aliqua ratio ſiſtendi imperium reperiri poteſt, & aliquando vel ſola ſufficit cogitatio exercendæ ſuæ libertatis, & in

affectus poteſtatis: ſicque iram in Chriſtianos Trajani flammantem mitigavit eruditus Plinius.

§. VIII.

UT vero iterum unde veneram redeam, ea, quæ ulterius pro abſoluta rerum Neceſſitate demonſtranda profert noſter auctor, penitius examinabimus explicabimusque. Præcogitare utique potuit Philoſophus, argumenta ſua ex Præſcientia Numinis deſumta, parum firma ſtare poſſe, præſertim ob Libertatem actionibus hominum adhærentem indiſputabilem; hanc igitur optime ut effugeret difficultatem, aliam elabendi rimam excogitavit, effataque nonnulla Scripturæ, in quibus DEus tanquam volitionum noſtrarum cauſſa adducitur, impiæ ſuæ theſi favere poſtulat. Enumerat e. g. *Gen. XLV*: 5. *Exod. VII*: 3. *Deut. II*: 30. 2. *Sam. XVI*: 20. 1. *Reg. XII*: 15. *Hiob. XII*: 16, 17, 24, 25. *Eſ. X*: 6. *Jer. X*: 10. *Joh. VI*: 44. *Rom. IX*: 16, 18, 20. 1. *Cor. IV*: 7. & quæ ſunt reliqua. Verum enim vero, ad iſthæc illius, propugnacula, ne verbum quidem reponere mihi neceſſum eſſet, quum maſcule ſatis eis, Theologi noſtri, nec non Scripturarum Sacrarum Interpretes reſponderint: Tamen ne meis partibus hac in re deeſſe videar, generaliter ſaltem reſpondeo, minus verum eſſe, voluntatem di-

vi-

vinam omnium earum quæ fiunt cauſſam eſſe, ſed e contrario plurima quæ DEus fieri nolit, fieri, in aprico eſt. Prout fidei liberandæ cauſſa, ſequentia ipſius DEi effata teſtimonium perhibent. *Prov. I: 24, 25, 26. Matth. XXIII: 37. Luc. VII: 30.* Secundo, dicimus, quod DEus dum permittit malum, in eo, conſenſum nullum, ſed judicium tantum exſerit; unde licet nulla quidem permiſſio ſine voluntate exiſtat, voluntas tamen illa DEi, cauſſa non eſt ipſius mali, (voluntas enim permittens, nec apud homines ſemper in rem malam conſentit: 2. *Sam. XVIII: 23. 1. Reg. II: 17.*) multo minus apud DEum, qui non vult id quod permittitur, licet bene ipſam permiſſionem: ſed finem vult alium, pœnitentiam puta *Rom. II*: 4. aut hæc contemta, oſtendere iram, & potentiam notam facere ſuam. Sed regeret forſan aliquis, nos per hanc reſponſionem, propria cædere vineta, & afferre arma nobismet ipſis periculoſa, ita argumentans: *qui vult finem, vult etiam media ad finem*, at DEus vult finem peccatorum, nempe punitionem, & gloriæ ſuæ ex illa pœna manifeſtationem, ergo etiam vult peccata. Aſt, quo pacto hic ictus repelli debeat, tam in proclivi eſt, quam imber quando pluit. Media, quibus DEus ad punienda peccata utitur, ſunt bella, fames, morbi, & quæ ſunt plura, quæve ipſum velle non eſt abſurdum, media autem ad pœnam, irrogandam Peccata quæ DEus punita eſſe vult, minime ſunt; aliud namque eſt meritum & cauſſa propter quam pœnæ ab aliquo repetuntur, aliud iterum

medium, quo punitur. Nec obſtat, quod DEum interdum peccata peccatis punire dicatur, nam non opus eſt, eum illa ipſa peccata velle, ſufficit velle eum eorum permiſſionem. Et quamvis ipſa peccata ſint inſtrumenta vindictæ, tamen ratio finis non exigit, ut qui ipſum expetit, quodvis etiam expetat medium. Sic e. g. Medicus ægroto, qui ſemet ipſi tradidit, medicinam adbibet. Videns autem æger, Medicum medicas exercere artes inaniter, aliam mox medicinam, quam ab alio fortaſſis didicit, ſumit: Diſvadet hoc ipſum Medicus, ob rationes haud leves, poſtulante autem ægroto, permittit. Hinc, nil impedit, quo minus divinam voluntatem, cum libero noſtro arbitrio conſiſtere poſſe, tute affirmare poſſimus; modo diſtinctionem faciamus inter voluntatem DEi *antecedentem*, ſecundum quam locum habet illud pauli: *voluntati ejus quis reſiſtit*, & conditionatam ſeu *conſequentem*, ſecundum quam nihil niſi impleta annexa conditione fit. *Jer. XVIII: 7, 8. Ezech. XVIII: 23.* Porro, quum ut jam quam ſæpiſſime notavimus, omnia quæ fecit, & adhuc facit Dominus noſter DEus valde bona ſint, neceſſitas omnino pia urget, ut contraria ſacrarum litterarum teſtimonia (qualia quæ ab adverſario heic objiciuntur ſunt) non accipiantur litteraliter, ὡς θεὸν ἐνεργήσαντα, ut loquitur Damaſcenus; ſed potius commoda quæratur διανόια, & præter effectivum modum intelligantur alii, reſpectu quorum iſta omnia de DEo dicuntur. Sic, quod ad illud *Exod. VII*, ſpectat, obſervandum

eſt,

eſt, dici DEum indurare & excæcare παραχωρητικῶς propter permiſſionem, prout illud non male explicat Ambroſius: *tradere DEi* inquit, *non eſt incitare aut immittere, ſed permittere;* & pulcre admodum Theodoretus: *Pharaonem non divina potentia, ſed divina patientia obduravit.* Hinc ubicunque ſacris in pandectis, verbis activis affertur voluntas DEi circa mala, alibi permiſſivis ſemper explicatur; ut, quando Rom. IX dicitur DEum indurare quem velit, ſtatim verſiculo ſequenti 19. per ἐκφραξὶν ita explicatur, *DEus vaſa iræ in magna patientia tolerat*: ſic quoque dicti, *Eſa. LXIII: 3. feciſti nos errare*, active non ſignificari docent verba *Eccleſ. XV: 11, 12.* ſed permiſſive, *Pſ. LXXXI: 13.* Ad illud iterum *Gen. XLIX*: ab Hobbeſio citatum utut & ſequentia, verbo notamus, voluntatem DEi ibi per directionem deſcribi, & ſic Deum, etſi non peccata approbet, nec voluntates hominum ad peccandum moveat aut impellat, tamen ipſis metam adſcribere docent. Tandem, quid multis quod per paucis abſolvere poſſumus? opus eſt verbis; inter veritates æternas referendum eſt illud Fulgentii: *Sicut peccatum in DEo non eſt, ita peccatum ab eo non eſt: quod autem ab eo non eſt, ejus utique ejus non eſt.* l. I. ad Monim. p. 12.

§. IX.

SEd nondum voluntatem DEi a nobis ſatis expeditam eſſe videtur Hobbeſio. Verum urget, ef-

fata illa in quibus volitiones hominum, divinæ voluntati repugnare dicuntur, quin & omnia illa loca, in quibus DEus dicitur nolle injuſtitiam, velle peccatoris ſalutem & in genere, omnia illa teſtimonia, quæ teſtantur DEum præcipere id quod bonum &, prohibere quod malum eſt, Antagoniſtis ſuis favere; poſtulantes hominem non ſatis concurrere ad malum, ob imbecillitatem naturæ ſuæ, quin & ob defectum divinæ gratiæ, neceſſariæ ad juvandam ipſam naturam. Hinc etiam Ipſe, illos juvare adnititur, ſomnians, DEum non velle ſemper id quod præcipit, uti e. g. dum juſſum dedit Abrahamo, filium mactare ſuum; voluntatem que DEi revelatam ſemper non ſecundum decretum fieri, quod iterum ex exemplo urbis Ninivæ, cui indulgentia contigit, probare vult. Atque ex his ratiocinatur, DEum, quando bonum ſalutemque creaturarum velle dicatur, illud præceptum imperiumque ſolummodo ſignificare, ut quilibet officia ad ſalutem adipiſcendam neceſſaria, abſolvet: & DEum peccatum puniturum eſſe, idem ac nolle ipſum peccatum, indigitare. Sed non eſt, cur ad hæc paradoxa rejicienda confugiamus; quod enim ad illud Antagoniſtarum, de inſufficientibus gratiæ divinæ adminiculis ſpectat, dicendum eſt, volenti ſufficientem gratiam nemini negari: *facienti enim quod in ſe eſt, non defore gratiam*, vetus dictum eſt, *nec DEus deſerit niſi deſerentem*, ut poſt antiquiores bene notavit Auguſtinus. Et fruſtra regeritur, nos apud DEum nihili,

nec

nec pluris, quam vermiculi apud nos eſſe; effugium namque illud non minueret ſed augeret perfectiones atque Majeſtatem DEi: nam & lumen Solis, etſi colluſtret res ſordidiſſimas eisque conjungatur, nihil tamen ſordidum inde contrahit. Omnem quoque philanthropiam tolleret, cum tamen in æternum verum ſit, providentiæ DEi nihil exiguitate ſua latere aut multitudine confundere; paſſerculos alit, homines amat, illis de victu proſpicit, & quantum in ſe eſt, felicitatem parat: adeoque gratiam & ordinariam & extraordinariam, ſufficienter non reſiſtentibus dat. Ad Sophiſma iterum Hobbeſii, reſpondemus, turpe DEo eſſe, voluntatem ipſius revelatam, veræ ejusdem voluntati adverſari: igitur illud de Abrahamo quod attinet, in aprico eſt, DEum Abrahamum filium ad mactandum ſuum imperantem, nil præter obedientiam ille ut probaret ſuam voluiſſe; quoniam ipſe actus immolandi in ſe conſideratus, indignum ſane fuit objectum voluntatis Numinis ſanctiſſimæ. Concionem rurſus illam ad Ninivitas, habitam, non ſine fundamento, magis comminationem, cum conditionibus veræ pœnitentiæ intellectam, quam ruinæ præſagium fuiſſe, exiſtimamus. Hinc quilibet niſi ſit talpa cæcior ſatis videt impium eſſe cum Hobbeſio ſtatuere, voluntatem DEi de omnium ſalute, nudum tantum mandatum involvere, ſine ulla vera voluntate; actiones enim illæ, quas expreſſe a nobis exigit DEus, e. g. pietas, amor, omiſſio peccati, longe aliter ſe habent, ac

iſte

iſte ab Hobbeſio citatæ. Hæ namque, digna omnino voluntatis divinæ objecta audiunt, quod in illas & ſimiles non cadere, jam demonſtravimus. Nos igitur, rejecta illa odioſiſſima miſanthropia, merito tuemur ſummam in DEo philanthropiam, qui omnes a peccatis ad juſtitiam converti, ſalvosque fieri, ſerio vult, voluntatemque multiplicibus gratiæ auxiliis declarat. Quod vero non fit, quod hic vult, utique repugnanti peccatorum malitiæ, attribui debet. Quam quidem ſummam ipſius potentiam ſuperare poſſe, fateor; ſed cum nullo jure ad hoc obligetur, tandem dico, eum aliena peccata permittere, ne ipſimet ſibi ſuisque perfectionibus deeſſe videatur.

§. X.

REſtat, ut denique Ideæ Hobbeſii de Caſu fortuito adhibeantur. Hanc autem doctrinam, prout nonnullis ſaltem traditam verbis ab ipſo in libro quem ſequimur, invenimus; ita &, uno aut altero ſolum verbo, eam a nobis expeditam accipias C. L. Admittit quidem Philoſophus, caſu, hoc eſt ſine ratione ſufficiente nihil fieri; quod jam in §. VI. citavimus, quin & ibidem approbavimus, in quantum ſcilicet nobiſcum facit: quatenus vero id ipſum exinde deducit, quod omnes eventus cauſſas ſuas habeant neceſſarias, eatenus nunc merito ab ipſo re-

recedimus. Atque ſic urgemus, omne id quod evenit, neutiquam cauſſas habere neceſſarias, ſed unice determinantes, quæ illuſtrant, cur hic & non alius exiſtat eventus, quatenus nimirum omne id, quod eventui alicui opponitur, contradictorium plane non involvat. inſtat Hobbeſius & dicit, eſſe impoſſibile quicquid non evenit, quia ait, nunquam fit, ut omnia rei non futuræ requiſita ſimul exiſtant; ſine quibus tamen res exiſtere nequit. Aſt argumentum hocce rem nihilominus in integro relinquit; concedimus, rem aliquam, ſi conditio ad ejus exiſtentiam requiſita deſit, exiſtere non poſſe: tamen uti rem iſtam etſi non exiſtat, exiſtere nihilo ſecius poſſe contendimus, ita pariter Poſtulamus, exiſtere poſſe requiſitas ad illam conditiones, etſi non exiſtant. Hinc, innumera dantur non tantum noſtræ cognitionis, ſed magis divinæ omnipotentiæ reſpectu & in ſe poſſibilia, quæ in actum nunquam perducuntur; cujus ratio in liberrima DEi voluntate ita ſita eſt, ut quæ juxta naturalem phœnomenorum conſequutionem fieri non poterant, hoc eſt, hypothetice erant impoſſibilia, intercedente veri nominis miraculo, non tantum contigerint, ſed etiamnum contingere poſſint. Res itaque naturales de quibus nobis nunc ſermo eſt, cauſſas ſuas neceſſarias habere, quamvis contra Hobbeſium negaverimus; exinde tamen concludere non licet, omnia forte fortuna fieri, cujus rei ille nos arguit. Etenim quod ſine neceſſitate fit, ideo ſtatim forte fortuna,

id eſt, ſine ratione fieri, nulla valet conſequentia. Habet namque fortuna, quæ Chriſtianis rectius, particula providentiæ divinæ audit, cauſſas ſuas licet non neceſſarias. Habet nimirum, ut erudite ſatis docet vir doctiſſimus ingens Germaniæ decus Melanchton, *vel DEum, ſeu providentiam divinam*, ad quam non incommode, illud Moſis in aquas abjecti conſervatio, nec non Tobiæ Junioris refertur: *vel bonos & malos angelos*, ſic Petrum angelus DEi ex carcere eduxit, ſic ædes in quibus liberi Job epulabantur, repentino caſu corruunt, miniſtrantibus malis angelis: *vel temperamenta hominum*, unde non fortuito, aliquem catarrhus gravat: *vel inclinationes a ſtellis & cœlo ortas*, quas cauſſas eſſe multorum, qui fortuiti vulgo nomen ſortiuntur, eventuum, Philippus multis docet exemplis: *vel mores actionesque hominum*, interficitur namque Abſalon non fortuito, ſed ob ſeditionem: *vel denique fluxibilitatem materiæ*, quæ ſæpiſſime multarum eſt rerum cauſſa, quæ alias fortuna fieri dicuntur; utpote quando interdum aliquo in loco pluit, cum in vicino non pluat: quod certe ex fluxibilitate materiæ elementaris oritur, quatenus venti varii pellunt & agitant nubes, non fortuito. Dependentia rerum a DEo extenditur, tum ad omnia poſſibilia, ſeu quæ contradictionem non implicant, tum etiam ad omnia actualia. Ipſarum rerum poſſibilitas, cum actu non exiſtant, realitatem fundatam habent in divina exiſtentia: qui niſi exiſteret nihil poſſibile foret. Actualia iterum omnia, depen-

pendent a DEo, tum in exiſtendo, tum in agendo, nec tantum ab intellectu verum & a voluntate ipſius. Et quidem in exiſtendo, quatenus omnes res ab Ipſo liberæ ſunt creatæ, & ab eo conſervantur; in agendo, dum ad rerum actiones concurrit DEus, quatenus actionibus aliquid perfectionis ineſt, quæ utique ab illo manare debet. Hinc tandem prono fluit alveo, vetus illud axioma, *nihil fit ſine cauſſa*, rectiſſime a Galeno, axioma indemonſtrabile vocari. Nam ſine cauſſa efficiente aliquid fieri abſolute eſt impoſſibile; ſed quicquid videtur ab aliquo videtur, quicquid ædificatur ab aliquo ædificatur, ergo & in communi, quicquid efficitur vel fit, ab aliquo efficitur & fit: illud autem a quo aliquid fit vel efficitur, cauſſa efficiens vocatur.

Vides nunc Lector B. quaſi per tranſennam & quantum propoſiti mei urgebat ratio, cogitationes juveniles de ideis Hobbeſii in compendio exhibitas; non enim perfectas tibi repræſentare, ſed rudiorem aliquam leviores penicilli deliniationem porrigere, conſtitutum erat. Quod ita a me peractum eſſe ſpero, ut neque me omnia de quibus dicere aggreſſus ſum ſed ſummis vix digitis attigiſſe, neque etiam in iis quæ protuli, a vero aberraſſe exiſtimem. Obtigit namque mihi, quod prolixiorum capitum commentatoribus evenire ſolet ut vera, ſi non omnia, ex iis ſe retuliſſe autument. Quod ſi vero præter opinionem, nec hoc me aſ-

ſecutum eſſe judices, Tu ſi quid rectius iſtis, impertiaris, ut corrigi velim: ſed forſan coronidis loco jam nil niſi gravem acutiſſimi Zabarellæ ſententiam adponere ſufficiat, quæ legitur l. 2. de Metaph. cap. I. his verbis: *Non ſolum ſi ſcopum attigerimus, aut prope ad veritatem acceſſerimus, verum etiam ſi aliquantum ab ea nos aberrare contigerit, nihilominus laudandi erimus: præſtat enim veritatis amore ductos in aliquem errorem incidere, quam in ſola auctoritate acquieſcere ſine rationis indagatione, illud namque ingenuum & philoſophicum præ ſe fert animum, hoc vero ſervilem.*

Gloria ſit Patri! Nati ſit gloria! Sancto
gloria Spiritui; Triadi ſit
gloria Sacræ!